



125

medio galeae juxta malum, et etiam gerit fistulam praecceptoriam in collo; et ubi cometa non potest esse, accurrit baro fistulans, clamans, et stimulans ad labores. Huic grandis cura est de funibus, velis et anchoris, ut sint semper aptata et disposita, et singularia habet in gaëa privilegia et jura. Sub illo alius est, qui dicitur subparono, qui ad jussum ejus jubet et praecipit aliis. Post illos sunt quidam, qui (48A) dicuntur compani, id est, socii forte IX., inter quos tamen aliqui praecellunt aliis, et sunt illi, qui sciunt discurrere per funes sicut catti, et velocissime per funes usque ad kebam ascendunt, et erecti in antenna currunt, etiam in saevissimis tempestatibus, et anchoras tollunt, immittentes se aquis profundis, si haeserint, et periculosissimis laboribus insistunt. Sunt autem communiter juvenes agilissimi, vitam suam quasi pro nihilo reputantes, audaces, et sunt etiam in galëa potentes, quasi milites sub baronibus. Sub istis sunt alii, qui dicuntur marinarii, qui ad instantes labores cantant, quia labores navales sunt durissimi, nec exercentur nisi concentu hortatoris, et responsione laboratorum. Sic illi laborantibus assistunt, cantant, hortantur, et percussiones minantur in stimulatione. Onera etiam magna eorum industria trahuntur. Et sunt communiter viri senes et maturi. Infimi dicuntur galeotae vel galeoti, primae vel secundae declinationis, quos latine nominamus remiges vel remices, qui in transtris sedent ad remos trahendos, et sunt in magno numero, et omnes grossi, at asinini labores eorum sunt, ad quos faciendos clamoribus, verberibus, maledictionibus stimulantur: sicut equi ducentes oneratum currum per viam altam, qui quando fortius trahunt, tanto magis stimulantur; sic et isti miseri, quando omnem conatum in labore faciunt, adhuc percutiuntur ad plus conandum. Taedet me scribere, et horreo cogitare de tormentis et castigationibus illorum hominum: nunquam vidi bestias adeo atrociter percuti, sicut illi caeduntur. Coguntur saepe tunicas et camisias a cingulo deorsum pendere, et brachiis scapulis et dorso nudato laborare, ut corrigiis et flagellis possint tangi. Hi galeoti sunt in plurimum servi emptitii patronorum, vel alias sunt vilis conditionis, aut captivi, aut fugitivi de terris, aut expulsi, aut exules, vel adeo infelices, quod super terram vivere non possunt

140

138

144

134

149

129

189

089

239

039

Ende

Anfang